

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 22

Haec carta indicat atque conservat quod dedit Pascuueten Sancto Salvatore in Rotonno monasterio, et monachis rotonensibus, locum unius saline faciende in Bronaril, pro anima sua et pro regno Dei, in elemosina sua et in monachia simpiterna; et inmisit unum de suis missum qui hanc donationem sive elemosinam vice sua monachis ostendit et tradidit, nomine Feket. Factum est hoc super ipsam terram, id est, in Bronaril, .XVIII. kl. ianuarii, .VII. feria. Signum Feket, qui hanc donationem vice Pascuueten donavit; x. Tribodi, prepositi, et Hincunnam, monachi, qui erant missi monachorum; x. Karmonoc; x. Elbrit; x. Uuorhatoi; x. Euuen; x. Ninoi; x. Jacob; x. Conmael; regnante Karolo rege, Erispoe principe in Britanniam, Courantgeno episcopo in Venetis civitate.